




DE RADICE CINA.

RESPONSVM PETITIONI

M. Antonij Maioragij.

 N casu huius Eruditissimi Viri, laborantis erosione gingivarum & dentium, concussionem factam ex humore calido & acuto: quæsitum est, an radicis Cinæ exhibitio conferre possit? Respondens, quod iuxta Principem Medicinæ experta melior est quàm non experta. Et manifestum est quod in phtis cum alijs auxilijs curavi fratrem Petrum Martyrem: & filium Bartholomæi Ephippiarj: & filium Gabrielis de Rigamonte: & Hieronymum Thiboldum: & filium fabri lignarij habitantis sub porticu portæ tonsæ: & mulierem iuxta Sanctum Marcellinum, omnes ex phtis exquisita deploratos, & ab alijs vbiem morituris medicis relictos: cum quibusdam eorum nec viuentis effigies superesset: alios etiam innumeros curavi ex eodem morbo, tribus illis vijs regijs narratis in libello experimentorum, quos longum esset referre, præsertim cum ex his plures non essent adeo, vt hi quos ego narraui, confirmati. Et nunc à biennio citra, omnes præter vnum curati sunt, aut ex toto, aut vt possint pluribus annis superuiuere.

Quare non video cur mihi Cina sit experimento in phtis cura tentanda: tum magis quod generosi quidam medici nostri voluerunt in cura illius Thesaurario Martino illam exhibere, conspiratione eripientes illum è manibus meis, cum nondum cognitus essem in tam præclara experientia, spe huius noui medicamenti, & intra menses quatuor miser ille vitam finiuit: nostri autem adhuc omnes etiam viuunt, videnturque potius emni alio morbo peritari quàm ex phtis. Sed nec in Gallica lue ligno sancto potest comparari, nos enim cum plusquam centum nobiles ex ea curauerimus, nunquam Cina indigimus. Quare cum minus valeat in quibus maximè probatur, quid in hoc sperandum? Vt tamen aliquid de Cinæ natura ac viribus dicam: Est illa quidem radix non parua, crocei ac subalbidi fermè coloris, pallida, & gustu subacida, odoris fermè nullus, vt quæ sit quasi lignum: adeo efficax, vt nullum aliud medicamentum, ne venenum quidem possit ei comparari. Nam primo vel septies cocta, vel etiam plusquam decies, vim præbet medicamenti egregij: & aquam vt pulli ius efficit: & vncia eius incoquitur aquæ vncijs 100. fermè, donec ad

Tom. VII.

70. redeant. Nihil autem est, quod tam diu in suam possit ac in tam magna aquæ quantitate impartiri. Vehitur ex India, è regione Ciniana, vt existimo. Scinditur in subtilissima frustra latæque vt coronati aurei: atque vt dixi, 20. aquæ vncijs, vncia vna in nouo lebete terreo lapideove immergitur, feruetque donec ad 65 redeat, intacto semper vase ne fumus possit exire, inde ab igne detracta proxima igni constituitur, circumuolutis pannis, ne vel quicquam exire possit fumi, aut repente refrigerari. Purgans decoctum reddit dimidia Ganti drachma, quæ Aypi est radix. In singulos autem dies renouatur decoctum, amarescit enim vt pro 24. diebus 24. vncijs sufficiant. Bibuntur summo mane vt calidissimi decocti vnciæ 14. panisque prolicetur sudor: inde licet post tres horas benè contextum pannis etiam si non sudauerit è domo exire. Seruatur interim calida vsque ad vesperas, bibiturque cum cibo, nec aliud omnino quicquam, sed & interdiu, non tamen adeo feruens sed quasi tepida: abstinebit à Venere, meridianoque somno, cibus etiam omnibus acribus, salis, amaris, acidis, lacte, hisque quæ ex lacte fiunt, tum iuribus ac fructibus vteretur pane ac pulli earne elixata in singulos dies bis: à cibo autem etiam melle, hoc enim huic decocto maximè conuenit. Post 14. diem autem pullis assis vti licebit absque condimentis. Si morbi Gallici causa exhibeatur, lanentur hoc decocto singulis diebus optimè vlcera, & panni ex illo madidi imponantur, absque ligatura: licet etiam post 8. dies semel, si virtus admodum sit debilis, vini aliquod decocto hoc lymphati bibere, atque ita interdictis duobus diebus repetere. Si alius non demittat, decocto oleo rosato, melle & sale enemà fiat, nec aliud alterius generis: subducit enim alium egregiè: cogitur autem alius plerumque à 7. die, ac in posterum suppressa manet: quo tempore etiam incipiunt in Gallico morbo sæuissimi dolores scilicet à 7. die hi vt plurimum ad 14. terminantur, alii autem durities manet vsque ad finem dierum, quibus decocto vtitur. Peractis 24. diebus colligitur lignum quod relictum fuerat in singulos dies, ac in umbra siccarum exactè, denuo comminutum in exiliores partes tantundem aquæ incoquitur, sed vt duæ vnciæ ligni 100. aquæ

Z imponat

imponantur : redeant autem ad 65. vt prius, exhibeturque eadem ratione iisdemque preceptis per duodenos dies : interim autem licet ludere, spaciari, contextum pannis, negotiarique serenis tranquillisque diebus. Manifestum est autem quod natura & proprietate hoc agit Cina, aduersus Gallicum morbum, non autem licet victus tenuitate, vt in ligno sancto in causam curationis adducere. Neque siccitate id agit sola : impinguntur enim accipientes, vis igitur eius exsiccans, & putredini tum ob hoc, tum ob

vim propriam resistens: habet & actem partem, ob quam amarum conuertitur facillime, & viuentes ab acribus, amaris, acidisque ac falsis arceat : valde enim tenuium est partium, habet & partem succulentam ad ducem & actuosam, qua impingnat, & proprietate sua iecur confirmat. Ob hac igitur ad quæ proficit satis est manifestum. Hydropi siquidem, vlcerebus malignis, phlogoc, sed non sola : lepræ, elephantias Gallico morbo, & atrophiz & scirrhis iecoris.

DE CYNÀ RADICE, SEV DE DECOCTIS.

PROXIMA huic tractationi videtur ratio decoctorum magnotum. Verum par mihi videtur difficultas in tradendis disciplinis, atque in frugibus ferendis, seu nimis sterili loco arefcant lata, seu lata pingui proueniant, & à multitudine inutilium herbarum suffocentur. Vtque illud magis abominamur, ita hoc plus detrimenti afferre solet. Verum non eo studio inscribimus, vt vsum à multis sola experientia traditum Cynæ doceamus, atque disputemus an Cynà à Syna, Græco antiquo Provinciz nomine, an Cyamba vulgari ac nouo deducatur: quæ disputatio superuacua mihi videtur, sed cum satis constet in ea regione illam nasci, operæ pretium fuisse si (postquam soli historiz ac experientiz inhærent ratione non satis perspecta) cuius plantæ radix hæc fuisset, edocuissent. Referunt quidam, plantam arundini esse similem nascique iuxta mare & locis palustribus cum alij contendant in promontorio. Ipsa sanè radix vulgaris acori nostri similis omnino est. Regiones orientis vt alias docuimus, & maxime quæ ad meridiem positæ sunt, succosiores & efficaciores plantas progignere solent : quod etiam in aromatibus videmus similiter & montes, quàm humilia loca : & iuxta mare, quàm flumina. Verum quod magis considerandum est, cuius etiam causa hunc laborem suscepimus, est, quonam pacto per continuam non huius tantum medicamenti, sed plurius etiam aliorum exhibitionem constitutamque victus certam rationem morbi alioquin inexpugnabiles superari possint ac soleant. Sic ligni sancti, & Sarzæ pariliæ, & arboris quæ in noua Gallia inuenitur, decocta miras sanationes efficere experimentoprehenditur. Constat sane hunc modum vnum ex his viginti esse à nobis in arte Medendi nostra parua connumeratis, per quos magni morbi solum curari possunt. Existimant quidam præcipuam causam esse inediæ, alij euacuationem, ego vero intemperiei mutationem, nam cum potus fuerit totus medicatus, simplexque cibus, inscietur cibus & ipse, vnde nutrimentum, at ex nutrimento humores

generantur, à quibus membra restaurantur. Membra ergo ipsa & humores mutata ad arbitrium nostrum intemperie nullum morbum qui superari non possit, hac ratione merito pati possunt. Adiuuant ad hoc euacuationes, quæ per huiuscemodi contingunt, vt inediæ & exhalatio, quam merito digestionem per poros seu cutis meatus appellare possumus. Ergo cū quatuor sint causæ, inedia, digestio, euacuatio, intemperiei mutatio, quam etiam principalem esse docuimus, nemini dubium est, etiam citra omnem euacuationem manifestam maximos morbos posse sanari huiusmodi decoctorum assidua assumptione. Quod solum in periculo versatur, cuique diligenter intendendum est, ne decocta illa retineantur vel hac coniectura, quod cum magna quantitas assumatur, nihil exeat, aut valde parum. Pro quo solent qui diligentius artem exercent, interulas pondere expendere, tum primum cum siccæ fuerint, deinde cum sudore maduerit, viti frequentem discrimen Italicarum vnciarum nouem esse, sic tuto duplici ratione in decocto perseverare possumus : tum quia quod superfluo ingeritur, etiam euacuatur, tum quod hoc indicium est vincentis naturæ, ac rectè operantis : vnde suspicari non debemus, in reliquis partibus assumpti humoris pigram futuram. Altera coniectura est, si aqua ventriculo innatet, nam neque excipitur à venis, vt prodesse possit, & coctionem vitiat calorem obrundendo : & vitiatam corrumpit, dum alimento immiscetur. Fieri etiam potest, vt sic in ventriculo retenta sudorem moueat ob præsentem vim caloris, nam ferme feruentia decocta ebibi debent, vt optimè docebat Auenzoar. His ergo duobus in casibus ab eiusmodi exhibitione abstinendum semper est post septimam diem in robustis corporibus, in imbecillibus autem post quartam. Et quamuis nec sic turò exhiberi possit quippe nuper Hercules Robechus amicus noster, cum neque in ventriculo noxam sentiret, & abunde sudore perfunderetur, liberatusque ob id sit cachexia, nihilominus in ipso sine cholera morbo vexatus, tantum reiecit aquæ

aque vt nesciam vbi illam interim potuerit continere. Ita ergo etiam si non prodeat sudor, si non mingat multum, parua quantitate, modo secundum rationem exhibeatur, vti licebit. Atque par ratio in aquis thermarum habenda est.

Observanda autem in omnibus ne temere ad talium exhibitionem accedas: primum vt corpus, quantum fieri possit, purgatum sit ab humoribus, ac liberum ab obstructionibus bonisque cibis antea saltem per quadraginta dies nutritum, neque exhaustum venire aut immodicis laboribus aut curis, vigilia adsit: tempus verò non frigidum his quinque conditionibus modo contraria contrariis opposueris, vt pote Cynæ decoctum calidæ, ligni sancti frigidæ intemperiei secure poteris exhibere. Vt ergo omnium vnum sit exemplum, postquam de Cyna sermonem cepimus, illius historiam absoluere propositum est.

Est Cyna radix crassitie ferme brachij vbi manus coniungitur, nodosa adeo, vt quidam ex arundinum genere eam esse existiment: mihi autem videtur è genere serpentium, vt hederæ lupi salictarij, intus quidem fungosa, rufa, subalbescens, exterius lenis, & quæ optima est ferrei coloris quæ minus nobilis ferruginei, sed splendidioris. Itaque mihi videtur, vt metallum tractu temporis rubiginem contrahit, ita hæc radix contraria ratione, alioqui ferruginea ferri sit coloris. Grauis est admodum, quæ optima est: & quanto ab hoc desciscit, tanto profecto ignobilior. Odoris penenulius, saporis autem sub acidi, pinguem tamen illius substantiam esse constat ex decocti gustu. Vis eius quanta vlli alij pharmaco: vnde qui illius facultatem ex primis qualitibus determinare conantur, neque vera dicere, neque quæ scriptimus nos in libris de subtilitate, de medicamentorum viribus nouisse videntur, quippe densa substantia, atque eadem tenuis etiam minimis qualitibus prædita longe maiores effectus efficere potest, quam vel piper vel ginger. Quid enim mirabilis esse potest, aut maximarum virium maius argumentum à quàm quod sexies decocta atque ex vncia in centum quinquaginta aut amplius aquæ septima rursus vicè aqua adhuc tingitur, eadem cum sale & oleo mixta pro clysteri egregie feces atque humores detrahit.

Cuius verò temperamenti sit quidam calidam in primo, siccam in tertio ordine esse affirmant. Ego si hac in parte contendere vellem, Galenūque sequi, operam vt dici solet, atque oleum perderem, nam facilius nostris hærens principiis, dicam multo illam humido pingui atque demso abundare, quod cum mixtum terræ substantiæ atque eadem tenuissimæ sit, membra solida firmare potest, vnde non tam vulgare auxilium est, vt quidam existimant nisi mihi ostenderint radicem aliam quampiam, quæ incocta ex vncia in libris quindécim aquæ (ita enim preparari solet) totum illud iuri gustu atque aliquanto dulcius, vino vè rubro substantia & colore simile efficiat. Quo circa nihil mirum est si humido tam

tenui, tam denso, tam multo omnia corporis membra, omnes contractas solidasque partes permeare atque permutare possit. Ergo intemperiem calidam vehementerque frigidam, tum laxitatem membrorum atque destillationes vndecunque sint, sanare poterit: vnde & cachexiæ & asciti & imbecillitati ventriculi ac iecoris atrophæ & resolutioni, tum his qui ex destillatione contabescunt, aut difficulter spirant: præterea vlcibus omnibus etiam pulmonis, sed cum exactiore inedia opitulatur, tum sanguis eruptionibus vndecunque sint, atque hæc quidem verè atque cum ratione. Addunt alij podagram & coxendicis dolorem, tum lepram, scabiem, elephantism, tum etiam morbum gallicum hoc presidio curari posse: de quibus nihil habeo quod referam, cum experientia hæc consent, nihilominus non adeò huius radicis decocto fauere decreui, vt illud ligni sancti aut corticis decocto conferam. Quod vero in hoc detrimento est, commune est omnibus qui copiose administrantur potibus, vt ligni sancti decocto & thermarum aquis, scilicet vt ob copiam ipsam ipsi ventriculo obsit. Labefactat enim eum, & quandoque non absque periculo. Et certe hæc noxa illi peculiaris & præcipua est, & minime contemnenda. Ferunt etiam lapidem confringere, id mihi incertum est: renes tamen sua multitudine purgare potest, intemperiemque sanare, atque etiam illorum robur, qua ratione etiam iecoris confirmare, verum id forsitan aliquis obiiciet, dicens: Quomodo ventriculum labefactat, ietur autem & renes confirmare potest? ea ratio est, quod ventriculus plurimum simul aquæ recipiens, distenditur, & laxatur, cum que membrum sit exanguè, multum debilitatur: ac contra iecur & renes, cum sanguinea sint, non facile possunt debilitari, etiam si confertim aquam exciperent, ac confertim aquam excipere non possunt, quia cavitatem nullam magnam habent quomodo scirrhos dissoluere possit, hæc aqua nullam parit difficultatem: scientibus quod scirrhii à pingui humido atque tenui & solum & facillime dissoluuntur, restat ergo vt de electione dicamus.

Eligenda est recens, colore ferreo, grauis admodum, nam quæ optima est, his lapidibus assimilatur, qui infecti ferreo colore iuxta fodinas inueniuntur, non ex esca, non cariola, secunda verò est in frusta coronatis auræ similia, unciæque huius scobia, si morbus sit, mitior: aut duæ, si mediocris: aut tres, si omnino inexpugnabilis sumenda erit: & similiter habenda est ratio par habitus atque ætatis. In libras igitur quindécim aquæ fontanæ, & in vase figulino vitreato infundet per horas viginti quatuor, deinde contexto vase excoquantur super prunas absque fumo, donec tertia parte absumatur, inde seruetur loco calenti iam excolata, quod si libeat validiorem habere, pauciorque opus sit potu, duodecim tantum aquæ libræ assumantur, ita recedant ad vncias propè centum. Memineris etiam, vt perpetuò dum infusa est radix, dum ex-

coquitur, dum etiam percolata seruetur aqua, ut semper exacte vas contactum sit, locoque, ut dixi, calido asseruetur: nam si solus egeris (cum aliàs per se in viginti quatuor horis acescat, quod etiam certum est iudicium maximarum virium) intra viginti quatuor horas acescit: atque ita pro medicamento transit in potum perniciosum, perseverantibusque exitiale. Indicio autem est corruptam esse aquam, corruptio concoctionis ad quam sequitur fluxus ventris præter consuetudinem, cum ipsius radice vis non leuiter sit astringens. Ergo detracta scobs in decem libras aquæ rursus debet infundi (nam frustra siccabitur, ut quidam solent in ligno sancto, cum nihil sit adeptura melius sed potius interim amissura) eademque ratione post viginti quatuor horas coqui ad tertiæ partis consumptionem, similiterque seruari: atque hæc secunda aqua vocabitur. Porro triplex exemplum huiuscemodi aquarum decoquendarum edocebitur, ut iuxta rationem magnitudinis morborum, atque causæ etiam auxilia possit administrare. Dicebat enim rectè Galenus in libro Artis medicæ iuxta finem: Paria viribus debent esse præsidia cum morbis, morborumque causis.

Ita triplex modus erit: exquisitissimus hoc modo hora matutina (sit gratia exempli, nox horarum nouem æqualium, dies autem quindecim) in ipso ortu solis ab octo vsque ad duodecim iuxta patientis robur vnciam decocti primi (nam huius solùm est vsus pro potu cum cibo seu interdiu) cum vncia vna sacchari (sit autem calidissimum, sic enim sudorem, si omnino prolici possit, prouocabit) ebibat, idque decoctum sit ex tribus vnciis scobis: inde regatur substratis sex linteis mundis, cumque sudore maouerit subtracto proximiorè liateo ne refrigeretur, rursus sudare permittatur, atque ita altero subtracta donec sudare desierit, singula auferantur: demum interna commutata vestibus optime integatur, sed tamen lenibus, & quæ minimè ipsū fatigent, hora decima tertia assumat panem bis coctum sine sale & cum saccharo præparatum, atque vnas passas, tum etiam creticias, sed tenuioris corticis, nec non in fine artocream ex amygdalis, quam Martium panem vocant: bibat quoque ex decocto ipso calido quantum libet, sed ut dixi immixto saccharo, vel puriore melle, quale est quod ex Cephalenia insula, vel ex Hispania aduehitur: dicit iocis intentus, per duas horas saltem quiescat, vnde si dormire libet, superdormiat quanto enim plus dormierit, tanto melius est: tum quia sudores magis proficiuntur, tum quia vires magis rescinduntur, tum quod decoctum ipsum in intima melius penetrat, tum quia corpus sudore exiccatum magis humectatur. Cauere tamen oportet in omni huius decocti exhibitione, ne Venere vtatur (solet autem is potus, seu potius ea victus ratio Venere magis excitare) atque ita cauere oportet ut neque antea per mensem neque in ipsa potus assumptione, neque etiã post per mensem alium, Venere vtatur, exitiale enim pene est hoc, sicut & ventus, & frigus peculiari quidem ratione forsitan magis

in hoc potu, sed generali haud dubiè: quandoquidem corpus ipsum & rarum, & ex angue & imbecille & super calefactum admodum existat. Hora ergo rursus vigesima prima potum eundem quem manè accepit, eadem quantitate eisdemque legibus assumat. Cæna verò persimilis omnino prandio, idèque potus, singulo verò die noua aqua paranda est: imò duplex, ut dictum est, & quantum superferat externa semper abiiciendum. Porro secunda aquæ vsus est pro clysteribus sale & oleo adiecto, ut dictum est. Et si contingat ægrum in diem ferre non posse, pulli in ea aqua incoquantur, ut alia quævis quæ vsui esse possunt. Sed quæ in vsu est ad incoquenda edulia dimidium primæ aquæ, de nouo cum secunda excoctæ recipere debet, adeo ut scobi radice, cum iam infusa secundò iacuerit, prioris aquæ pars dimidia aut tertia eiusdem diei superfundatur, simulque coquantur. Itavt omnium vna constans sit ratio, scilicet ut vel cibi qui eduntur pingues non sint, cuiusmodi sunt ficus, pira cocta, mel, saccharum pineæ, panis martius, vna Corinthiæ & Creticæ: aut si pinguis sint, coctione in ea aqua à naturali statu permutantur, quo fit ut ouis aut lacte vel his quæ eo constant, in hoc primo genere uti non liceat, quoniam neutra earum conditionum illis adesse potest, quamvis enim huic aquæ incoquantur, parum aut nihil à propria natura recedunt: eiusmodi ergo est exactissima huius potus tum aliorum similium administratio. In qua tamen licet feriens & non ventosis aut frigidis diebus spaciari atque absque cura negociari, interdictum pellibus nobilioribus acleuissimis, ut sine labore egredi liceat. Vnde etiam eques magisque pedes, imò ne utiquam tutum fuerit omninò pedibus iter agere.

Secundus autè vsus qui mediocrist est, cibos quidem pingues bis in die admittit: sed (ut supra dictum est) perpetuò incoctos secundæ aquæ. Cætera verò quæ obseruanda sunt omnino, ut in exquisitissimo modo retinenda sunt, velut communia omnibus administrationum modis. Quale etiam est illud, quod in nullo genere exhibitionis decocti aquæ Cynæ æger uti debet excellenti aliquo sapore scilicet: aut acido aut austero, vel acri amarone aut falso, sed omnia quæ illis participant penitus sunt relinquenda. Hoc vero contingit ob id quod cum aqua per se, & euacuatio quæ ex aqua prouenit, multum exiccet, maximum ab aliis siccantibus periculum imminet. Ita quæ coquantur, absque sale coqui debent. Iure autem pro potu in vtroque horum modorum uti licet, cum ius ipsum sit medicatum, et maximè cum iam corpus contabuerit. Cænam quoque aliquo astringentè cibo præcipue medicato claudemus, velut coroneorum, carne ex saccharo, aut cornis aut sorbis vel piris, aut coriandris conditis. Atque in his omnibus tum aliis decoctis propinandis, non ut in febribus ab initio tenuissimè, cum materia multa præparanda est atque educenda, succu temporis corpore exinanito & viribus imbecillioribus, nec natura præparationi, nec

nec multo minus coctioni intenta, sed solum nobis temperamento restituendo copiosius atque plenius rescindendus est æger, ut simul vires, caro ac temperamentum celerius restituantur. Sed neque à solis cibis vehementis qualitatis abstinere oportet, sed etiam duræ concoctionis velut amygdalis ac pane iam diu excocto. Verùm & bis coctum recentem assumere decet: qui si tertiam diem non excedat, optimus erit.

In tertio vero genere administrationis caro & maximè pulli iurulenta & elixata sine auxilio secundæ aquæ admittitur, imo assatæ experientia non solum ratione omnibus præferenda: atque id generale est huic tertio modo velut & oua, pisces tamen & caseum nemo probat. Sed quod maximè dubitatione dignum est, id est: vtrum liceat in prandio atque cœna vino vti? atque si licet, an permixto decocto Cynæ? Decoctum Cynæ si tantum serapij loco assumatur, non video quid prohibeat, quemadmodum in omnibus aliis decoctis, quin homo possit cum cibo vino vti: verum ut nullo periculo res agitur, ita etiam minima utilitate. Sed an vino decoctum immisceri possit, magna dubitatione dignum est. Auicenna inquit: Et iungere serapium acetosum cum aqua hordei, malum est, quoniam illam corrumpit. Videtur & vinum corrumpere has aquas, vicissimque ab eis corrumpi, atque ita periculosam esse hæc permixtionem: nos autem experimento didicimus, nihil egregij autè boni aut mali ex hac permixtione consequi, idque iure merito, namque frustra fermentarentur medicamenta, si extemplo ea miscere liceret: sed non iuuat, quoniam alterum alteri impedimento est: omne vero medicamentum vbi vim ignis ex decoctione in terrea parte conceperit, vinum ipsum corrumpit, ob id aqua simplex decocta non corrumpit: neque cum odoratis, sed quæ sponte acescere solent minimè ligni, maximè decoctum Cynæ: cum enim in viginti quatuor horis per se acescat, cur cum vino sumptum ipsum non corrumpet? neque enim sic profluet per sudorem. Quæcumque igitur sponte acescere nata sunt, & maximè si breui, vt lactis serum, Cynæ & hordei decoctum: si non assumptione per alium aut vrinas aut sudorem etiam breui expurgentur, corporis temperamentum corrumpunt. Quare neque in ligni decocto, neque in thermarum aquis id periculi erit, verum tutior est aqua thermarum, ligni enim decoctum æstate tertia die putrescit, aut ad summum quarta. Neque enim in his exacta putredo, quæ iam perfetri non possit, expectanda est. Nullum igitur quod breui acescat medicamentum cum vino assumi debet, nam vini causa retineretur in corpore, ideoque corrumpit atque corrumpitur à vino: vtraque autem ventriculum debilitant, atque iecur, atque in malam traducunt intemperiem. Similiter neque in cibus, si vino vti contingat, aqua permiscenda est: aquæ enim porus omnibus medicamentis validis cynæ, larçæ pariliæ ligni sancti decocti, tum thermarû aquis noxiis est valde, certo experimento, ne dicam exitio. Præter enim quod

crassitie sua atque frigiditate illorum opera impedit, corpus ægrotantis medicamento resolutum atque euacuationibus, destruit atque labefactat. Similiter commune est omnium horum trium modorum generi, vt quandocunque velint, quantum velint, ex decocto bibant, modò calidum sit, suorumque pro ratione quantitatis proflueret soleat. Neque enim solum hoc non nocet, sed etiam egregiè iuuat: medicamenti enim habet rationem, tum potius ipse, tum cibus, qui cum eo assumitur. excipio tamen in his eos qui vinum bibunt cum cibo: nam his vti que non conuenit, multoque minus quam si vino permixtum decoctum quis bibat. Melius etiam erit, si vel statim à cibo, vel post quinque horas non interim quis eo potu vtatur. Atque hæc de generali ratione dicta sint: nam alij (de singulis certas quasdam normas tradiderunt quas nos sic probamus, vt non à generalibus præceptis, neque his quæ declaratione certa inuenta sunt, discedere liceat.

Licet etiam dubitare an quod pluribus placet, medicamenta alia his decoctis sint immiscenda: multa hinc inde adducuntur, quæ omnino non certam ac generalem rationem habent: nam thermarum aquæ, aut Cina non admittunt. Thermarum aquæ, quoniam naturali calore constant, qui aduentitio corrumpitur, dumque externam acquirunt, vim propriam amittunt. Cynæ decoctum cum in quodam temperamento exactissimo constet, & ad libellum quocunque addito, vt in minimo medicamento à constituta illa & moderata intemperie deicitur atque evertitur: itaque nihil talibus permiscere oportet. At in decocto Indici ligni, cum per se vehemens sit & potens, nec iuxta exactissimam moderationem sit constitutum, sed vehementiore caliditate quàm etiam siccitate agat, multumque habeat pinguis humidi, temperari potest, suâque pariter retinere vires, atque ita vna hæc ratio generalis constituatur: Quæcumque pinguis valde sunt, nec circa constitutam mediocritatem consistunt, à qua tamen operatio illa desideretur, quæque non sola natura constant, ea mixtionem admittunt: velut lignum sanctum, & magis cortex, maximè verò. Reliqua non admittunt, scilicet quæ natura constant, aut paruo prædita humido pingui ex moderata quadam temperie opus suum perficiunt: aut si plurimo etiam abundant, opus suum abundantanti tenui, tamen pingui humido perficiunt, velut Cyna. Vnde etiam in his obseruare decet, vt dum coquantur, non respirent aut exhalent: nam optima pars atque tenuissima, quantum licet, conseruari debet. Quod si in duplici vase decoctum id fiat (id tamen expertus non sum) optimè cessurum spero, nam cucurbita clausa (id genus est vas) melius euadet, atque exactius obsoletur.

Peculiare autem quoddam inest illi, vt scilicet à septima die alius fermè ex toto supprimatur. Vnde tum ob id, tum ob morbi naturam in Indica lue ab ea die solent non paruum dolores augeti, qui vt pluri-

mum ad decimam quartam diem extenduntur siccissimi : ac alui durities vsque in finem scilicet xxiv. diem : qui communis est terminus : quanquam ego non improbem iuxta diuersorum laborantium necessitatem variari hunc terminum , atque etiam nonnunquam vsque ad xl. extendi , velut & in thiermarum potu , sic & ligni sancti non vltima dies erit xl. imò vel ne lx. (quanquam raro ad eam necesse sit peruenire) pro vltimo termino constitui debet. Si ergo aluus supprimatur , post tertiam diem clysteri dicto succurrendum : ante non licet , ne aut vires minuantur , aut sudor diuertatur. Sed si aluus iusto plus fluxerit , carnes assatz dentur , panis in iure ex Cyna madefcat , vnguenta ex miristica nucis oleo , & absinthij adhibeantur. Si non sufficiant , etiam fomenta ex menta.

Ergo vt ad Cynæ decoctum redeam , siccitate putredini resistit , temperamento in actiuis qualitatibus ad moderationem omnia membra deducit , succulenta substantia restaurat , vires atque corpus impinguat : detergit verò parte quadam leuiter acri , qua etiam illius decoctum breui admodum tempore non solum in acidum sed etiam amarum transit saporem. Vbi vero tanta vis decoctis inest , certè etiam contritis in substantia sint tam dura , vt superari nequeant , non minor facultas adesse potest , atque ideo cum eorum substantia auxiliari debebit.

Porro vim medicamenti huius , si ad lignum sanctam conferre libeat , sic expedito : aduehitur ad nos hæc radix post biennium , raro vsus ante quinquennium , vnciaz tres in xv. libras aquæ , ligni sancti vnciaz quindecim , proportio effectus fermè tripla : proportio ergo quindecupla : cui si adiciatur mora ratio , erit trigintupla , at lignum sanctum inter præcipua medicamenta habetur , & hydargirio fermè par. Vnde haud rectè dictum videtur , vulgare & inefficax fore medicamentum. Sed nondum ratio absoluta

horum innotuerat. Neque tamen hoc dico , quod Cinæ vetustatem aut quinquennium illud probem , sed vt ostendam quanta vis illi sit.

Verum etsi alibi de Sarza Parilia abunde actum sit , breuiter tamen hic modum exhibendi (quod media fermè sit inter cynam , & lignum sanctum viribus ac temperamento) subiicere decreui. Est autem quasi dum genus tamesi in ea spinas non viderim. In libras xij , aquæ fruticis huius leuiter tusi vnciaz quinque per duodecim horas infunduntur ea fermè conditione quæ in Cyna dicta est , coquitur ad consumptionem duarum è tribus partium. Quinz aut senæ vnciaz , ea ratione quæ in Cyna explicata est , bis in die assumuntur , ipsi trunci exempti rursus in xij , libris aquæ infunduntur , adduntur anisi & liquiritiaz vntiaz. L. Inde absque mora coquantur donec quinta pars solum absuatur , atque hic pro potu est. Cibus mane panis , & pulli caro aut auicularum vesperi amygdalæ absque pane passæ que vuz , à syrupis assumptis sudor qui facile fluit prouocandus est. Multo lenior est hæc atque commodior Cyna , ac ligno sancto frigidis ac calidis temporibus vsui est , & minus afficit corpora , adeo vero familiaris illius est vsus , vt nec femina nec pueri eam refugiant. Prodest omnibus fermè longis morbis : & in lentis etiam febribus vtiliter ac tuto exhiberi potest. Quandoque coquendo syrupum tantum medietatem consumi præcipio. Optimus autem modus , & à me inuentus est , vt libraz octo aquæ & quatuor vini flauii admodum potentis sumantur , aliquando paribus ponderibus maxime in syrupis , addo etiam cinamomi vulgaris nonnunquam semunciam. Quin etiam ligni sancti mitionem admittit , & feliciter omnia hæc moderari docet pro ratione morbi causæque & symptomatmm , regione , anni tempore , natura patientis , ætate vsuatque consuetudine vt iuuat , vt fert , vt dormit appetitque.

DE CYNÆ RADICE , FINIS